



1. 6  
2. 6  
3. 6  
4. 6  
5.  
6.  
7. 6  
8.  
9.  
10.  
11.



1730-1784

1. Caillet de dysenteria. 1734.
2. Caspart de exotici cronici. 1730.
3. Chardulliet de incubo. 1734.
4. Clad de usu mercurii sublimati corrosivi. 1784.
5. Colin de gastritide. 1771.
6. Conrad de hydrocephalo. 1748.
7. Corvinus de hernia cerebri. 1749.
8. Corvinus de tartaro. 1780.
9. Corvinus de conceptione tubaria. 1780.
10. Corvinus historia aeris factitii. 1777.
11. Quienotte casus subluxationis cerebral. 1761.







Q. D. B. V. 6

DE

HYDROCEPHALO

CUM

FUNGO CEREBELLI

CONJUNCTO

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

SENSU

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS

LEGITIME CONSEQUENDI

D. VII. NOVEMBRIS A. MDCCLXXVIII.

DISPUTABIT

JOHANNES CONRAD

ARGENTINENSIS

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI

Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.



*LIBERALITATIS*  
**O T T O N I A N Æ**  
**DOMINIS**  
**DISPENSATORIBUS**  
**MUNIFICENTISSIMIS**


**VIRIS**  
*MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMO*  
*MAXIME REVERENDO, CONSULTISSIMO*  
*EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO*  
**DE RE TAM PUBLICA QUAM LITTERARIA**  
*OPTIME MERITIS*  
**UT GRATISSIMI SUI ANIMI TESTIMONIUM**

**EXTARET**  
**HOC SPECIMEN**  
**SACRUM ESSE VOLUIT**

---

**AUCTOR.**





## PROŒMIUM.

**C**ognitionem anatomicam, non tantum superficialem illam, sed & subtilissimam vero Medico absolute necessariam esse, ab omnibus artis medicæ peritis jam dudum evictum est. Non autem sufficit, mirandam sane humani corporis structuram, varias ejusdem partes, earum combinationes atque functiones in statu sano probe nosse, oportet quoque varios illos a fanitate recessus illorumque causas perfecte cognitās habere; nam perspecta demum causa, & morbus perspicitur. Ast quantane occurrit morborum in interioribus corporis latentium caterva, quorum causas sæpissime ne perspicacissimus quoque Medicus, omni licet data opera, eruere valet? In tanta nunc artis nostræ imperfectione, inspectio omnino cadaverum variis morbis defunctorum quemque artis medicæ studiosum insigniter adjuvabit. Hinc jam vetustissimos cadavera eo fine secuisse legitur, quo abditas morborum causas eruerent <sup>a</sup>); & ita quoque recentiores

<sup>a</sup>) PLINIUS, *Histor.* L. XIX. C. 5.



Anatomici, illorum vestigia omni cum laude prementes, & eo præcipue allaborant, ut omni data occasione, id ipsum, quod in cadaveribus mutatum reperiunt, auditoribus suis dilucidant atque demonstrent. Præter alios præcipue MORGAGNI nobis in Epistolis de causis ac sedibus morborum per Anatomem indagatis, præstantissimum hac de re reliquit monumentum. Probe autem hic cavendum est, ne id, quod in moribundo vel post ejus mortem factum, quodve non tam morbo, quam malæ curationi imputandum, aut quod non morbi causa, sed potius illius effectus, pro vera morbi causa habeatur. Nulla amplius dubitatio supererit, docente MORGAGNIO *b)*, si plura cadavera post eundem morbum denatorum examinata inter se comparentur, & quod præter naturam in omnibus similiter fuerit, id pro causa morbi habeatur. Sequens nunc historia morbi, illique præcipue subjuncta sectio anatomica, quantæ utilitatis sit cadaverum inspectio, uberius dilucidabunt.

### HISTORIA MORBI.

Civis quidam hujus urbis ante sex circiter annos adeo validis in caput feriebatur ictibus, ut brevi temporis spatio tristissimas inde perciperet sequelas. Afficiebatur enim primo vertigine quadam plus minusve valida, interdum autem adeo ingruente, ut per tempus quoddam a consuetis suis negotiis plane desistere cogeretur. Durabat hæc scena spatium quorundam annorum, quo & huic malo sese jungebat levis quædam lateris finitri paralysis, cum visus simul depravatione, ita ut ægrotus vix aliquid, nisi vividissima luce, distinguere valeret; omnes ceterum, quos assumentibus, cibos atque potulentia, alienato semper gu-

*b) Præfat. ad L. 1. Epistolarum.*



stu percipiebat, de perpetuo oris amarore conquerens. Associa-  
 ciabat se tandem mentis alienatio, ita ut sapius per dies  
 quosdam integros in lectulo suo decamberet, absque ut  
 ullum verbulum proferret, semperque manu ad occiput  
 porrecta mali sui sedem indicare videretur; corripiebatur  
 enim simul vehementissimo occipitis dolore; quem non  
 raro dirus comitabatur vomitus biliosus, illoque iterum  
 cessante, capitis dolor semper crudelior redibat. Ceterum  
 sapius, quando solus relinquebatur, de lectulo surrecturus  
 in terram decidebat, rarissime autem solus, sed semper  
 fere aliorum brachiis innixus incedere valebat. Per totum  
 nunc huncce morbi decursum experientissimi quoque Me-  
 dici varia, sed semper incassum adhibebant remedia, ita  
 ut ægrum tandem tristissimo suo fato reliquerint. Aux-  
 ilium ita quærebatur apud empyricum quendam, olim  
 balneatorem, qui autem in ejusdem pulsum atque urinam  
 eruditissime scilicet inquirens, postquam audiverat, &  
 experientissimos Medicos hactenus frustra laborasse, tan-  
 quam Magnus Apollo ex tripode pronunciabat, ægrum  
 certo moriturum, nec ullum amplius auxilium in suis  
 arcanis relictum esse. Tradebatur sic ægrotans Xenodochio  
 civili, experientissimus quoque illius Medicus Dn. Pro-  
 fessor EHRNMANN omni data opera eo allaborabat, ut ut  
 ægrotum servaret, varia in huncce finem sed absque ullo  
 successu propinabat medicamenta. Æger tandem præte-  
 rita hyeme fatali sopore in apoplexiam sese terminante  
 correptus diem obiit supremum, Sedem nunc atque causam  
 hujus morbi diris admodum symptomatibus stipati, se-  
 quens sectio anatomica, prouti mihi illam Celeb. inter  
 nos Anatomie atque Chirurgie Professor Dn. LOBSTEIN  
 communicavit, luculenter demonstrabit.

*SECTIO ANATOMICA.*

Cranio ferra discriminato, dura mater apparuit sicca,

A 3



& nullis fere picta vasculis, quæ tamen in omni sua externa facie cum cranio rite cohæsit; ex quo jam colligere licuit, in cerebro delitescere quid, quod omnium antea recensitorum symptomatum causa fuit. Incisa dura matre, ea liccitas quoque apparuit non tantum in illius interna superficie, sed & in externa Arachnoideæ, quas omni tempore mador oblitit. Id non tantum in superiore parte hæmisphæriorum sed & ibi videre licuit, ubi cerebri lobi posteriores tentorio incumbunt. Discissis hæmisphæriis, tanta collecta hæsit in ventriculis superioribus aquarum copia, ut eorum cava insigniter distenta reperirentur; quo factum, ut thalami nervorum opticorum simul & striata corpora ubivis pressa exiguæ molis essent. Hoc simul animadversione dignum erat, quod prædicta corpora instar corii densi tenacitate gauderent; idem quoque apparuit in septo lucido ventriculos adhuc distinguente, nec cerebri fornix illa tenacitate privatus erat, qua plurimum simul de sua figura perdidit. Interim, quo is lateraliter thalamis utrinque incumbere incipit & striata corpora desinunt, utrinque foramina erant in ventriculum tertium hiantia, qui simul aqua repletissimus erat & maxime distentus, quare & hic locorum thalami latera hujus ventriculi efficientes pressi, ut & illorum moles maxime esset imminuta. Tandem quum hujus ventriculi apertura posterior examinaretur, illa & prægrandi foramine hiabat in quartum, inque specum vertebrarum huic subiectum, inde & specus aqua erat repletissima. Huic malorum catervæ illud quoque sese associavit, quod pedunculus cerebelli dexter curiosorum oculis obtulit. Excrevit scilicet ibi ex parte postica pedunculi, quos is leviter planus est, & latus ventriculi quarti conficit, verus fungus nucis juglandis magnitudinem habens, coloris cinerei atque vasis rubris distinctus. Is mollis erat, ita ut, quum stylus immissus fuerit, facillime cederet, quod in fungis, aliis ex sedibus efflorescentibus, simul deprehendi solet,



## §. I.

Ex inspectione nunc hacce cadaveris elucescit, ægrum nostrum vero hydrocephalo cum fungo cerebelli conjuncto & ita duplici morbo laborasse. Hydrocephalus quidem, veteribus jamjam cognitus c), de quo mihi primo nunc differendum, dicitur quævis aquarum in capite morbosa congestio, dividiturque ab Auctoribus in externum atque internum. Quodsi enim aqua in celluloso textu sub capitis integumentis stagnat, vel quoque cellulis ruptis, in unam quasi cavum collecta hæret, tunc hydrocephalus externus sive subcutaneus oritur d). Ut plurimum ille in foetu vel pueri reperitur; mollis plerumque tumor est, digito prementi cedens, & humor in illo contentus tanquam per vitrum aut cornu pellucet. Alia adhuc hydrocephali externi species est, quam Cl. MONRO e) hydrocephalum spurium vocat, in quo caput variis in locis tumet, & quidem ita, ut vel tumores hi in mollibus ossium juncturis f) ac præcipue in ea, quæ inter occiput & bregmata est, se attollant, vel proprium in cranii osse excavatum foramen sit, ex quo aqua tumorem efficiens protrudatur: subit enim hos tumores aqua inter cranium & meninges, vel in ipso encephalo collecta; ac in priori casu sola in duræ matris sacco includitur, in altero vero cerebri portio simul addita est, ita ut cavum tumoris cum

c) HIPPOCRATES *de Morbis*, Edit. Charter. T. VII. p. 556. ÆGINETA L. VI. C. 3.

d) Cf. MORGAGNI *de Sed. & Caus. morborum* Ep. XII. §. 1. Tumor autem ille, quem sub hydrocephali externi nomine AETIUS L. VI. C. 1. describit, non aquam sed sanguinem continet, & a contusione oritur.

e) *Essay on the dropsy* §. 115.

f) ÆGINETA loco citato.



ipsis ventriculorum cavis communicet g); huncce tumorem autem proprie ad internum hydrocephalum referendum esse, facile patet. Internus quippe, tanquam verus cerebri hydrops est, quando inter ipsum cranium atque cerebri membranas, vel inter ipsas meninges, vel inter has & cerebrum, vel quoque in hujus anfractibus atque ventriculis aqua morbose colligitur; & ita hujus hydrocephali variæ dantur species. Ita enim de aqua inter cranium & duram matrem inventa, apud Auctores observata quædam profant; sic MORGAGNIUS h) de rustico refert, qui impatiens diurni sævissimique doloris capitis, a ferro inter cranium & duram meningem incluso, veterinarium cœgit, sibi synciput perterebrare, unde feri copia exfiliente prorsus convaluerit. Ceterum vero, quum ex sectionibus anatomicis constet, quod dura illa meninx cranio firmiter adhæreat i), hoc rarius tantummodo accidere posse videtur, idque forte ab effuso, qui duram matrem deprimeret, humore, aut a morbo & vulnerere, aut a putredine, quæ vincula solvisset, aut quoque a singulari & ignoto naturæ vitio; hinc fere in adultis tantum observatur, in quibus nulla cranii dilatatio & ita quoque nullus capitis tumor cum hac effusione aquæ conjunctus est l); quam porro inter duram matrem & reliqua cerebri involucra seu ipsam ejus substantiam colligi posse, plures observationes probant. Sic inter Arachnoideam & piam matrem, in hominibus lethargo demortuis, se aliquoties aquam reperisse

g) RUYSCH Obs. L. II. p. 53.

h) Epist. XII. §. 13. Cf. quoque BONETI Sepulchretum L. I. S. II. Obs. 45.

i) Ill. HALLERUS Element. Phys. T. IV. p. 94.

l) Tumorem capitis ex hydrocephalo in adulto ZACUT. LUSITANUS Curat. t. admin. L. III. Obs. 12. habet, sed externus sine dubio erat.



reperisse SWIETENIUS testatur *m*). MORGAGNIUS *n*) in viro quodam epilepsia enecto inter crassam tenuemque meningem magnam feri copiam deprehendit. Omnium autem frequentissima hydrocephali species ea est, cum aqua in cerebri ventriculis, & quidem sæpe tanta copia reperitur, ut fidem fere superet. Sic dicti enim ventriculi ab aqua intus contenta magnopere non raro ampliantur, ita ut duos pugnos quilibet admittat *o*); HALLERUS refert *p*), in ventriculis ad tredecim uncias aquæ repertas fuisse; hicque cerebri hydrops non raro cum alia, aut pluribus illius speciebus conjungitur. Ita enim MORGAGNIUS *q*) in cranio viri quadragenarii tandem apoplexia defuncti serum inter tenuem meningem atque cerebrum, & in illius ventriculis reperit; in cranio quoque viri profectæ jam ætatis, vertigini obnoxii cum magna somnolentia, in cerebri anfractibus atque ventriculis, & qua oblongata medulla in spinæ tubum descendit, aquam gelatinosam vidit.

§. II.

Dividunt porro hydrocephalum ratione ætatis, quæ homines infestaret solet, in hydrocephalum embryonum, puerorum atque adultorum; illos autem multo sæpius quam hos eodem affici, quotidiana edocemur experientia. Permulti quippe infantes capite adeo tumente nascuntur, ut potius monstri, quam veri hominis formam præ se ferant: futura a se invicem discedunt, cranii ossa tum inter se, tum a maxillæ superioris ossibus separantur, frons extuberat, oculi torvi sunt humentesque, venæ fa-

- m*) *Comment. in BOERHAAVE Aphor. T. IV. §. 1217.*  
*n*) *Epist. IX. §. 2.*  
*o*) *Ephem. Nat. Curios. Cent. I. & II. Obs. 29.*  
*p*) *Libro citato T. IV. p. 41.*  
*q*) *Epist. I. §. 4. 14. Epist. VI. §. 2.*



ciei nonnunquam turgescunt, & si ossa simul attenuata sunt, omne cranium quasi pellucet, ut & sinus majores rubedine se prodant. Pueri quoque, quippe quorum ossa cranii nondum firmiter coalita, & ita aquæ ab intus urgenti facili negotio cedunt, eadem quoque non raro cum illis experiuntur symptomata. Associat se porro in foetu atque recens natis sæpissime alius morbus, quem spinam bifidam vocant, qui sæpius tanquam symptoma prioris considerandum. Ita enim Ill. HALLERUS *r*) non dubitat, quin aqua in majori copia in ventriculis cerebri collecta usque ad vertebrarum specum descendere possit; *ejus enim, inquit, nimia copia frequentem in foetu morbum facit, quem spinam bifidam dicunt.* In eo malo, dura membrana, quæ caudam equinam continet, ab humore distenta, molles spinas lumborum & sacri ossis, aut non finit coire, aut male conglutinatas dividit, & obliterat, seque sub ipsam cutim videtur efferre, recte adeo hydrocephali speciem fecit, Ill. TREWIUS *s*).

§. III.

Varia ex variis auctoribus de hydrocephali interni sedibus in primo jam Spho allegata sunt exempla, quibus constat, aquam proprie in cranii cavo contentam constituere sic dictum hydrocephalum internum; nullum itaque dubium amplius supererit, quin & noster ægrotans eodem laboraverit morbo. Cranio enim ferra discriminato, omnes encephali ventriculi, simul & vertebrarum specus aqua erant repletissimi. Quod in statu sano omnis cavitatum internarum viscerumque in his cavitatibus contentorum superficies tenui humectetur rore lymphatico, ex

*s*) *Commerc. Lit. Nor. 1741. hebd. 20 & 21. Cum hydrocephalo conjunctum malum. Eph. Nat. Curios. Dec. II, Anno 2. Obl. 158.*



vasculis minimis arteriosis perspirante, quodque ita hoc quoque in duræ matris eo latere, quod encephalon respicit, externaque cerebri superficie, & maxime in ventriculis sic dictis cerebri fiat, omnibus notum est. Exhalans nimirum ille vapor subtilis partes illas irrorat & ita madidas servat, ne motu suo atque attritu detrimentum quoddam capere, aut plane inter se concrefcere possint. Neque vero perspirabilis hicce halitus in majori copia adest, quam requiritur ad humectanda latera illa, varia cava constituentia, hinc non semper in aquam colligitur, atque a recentissimis & integerrimis cadaveribus nonnunquam abest *t*); quodsi autem interdum in majori copia aqua in cadaveribus collecta deprehenditur, tunc aut adest status morbosus, aut ille halitus a morte aliquamdiu, ut alii vapores de arteriis generari videtur, hinc plerumque aliquot a morte horis, multa in ventriculis aqua reperitur, etiam absterfa in animali, noviter aperto cerebro, redit *u*). Halitum nunc huncce ex arteriis evaporantem continuo per venas resumit exemplo aliorum in corpore nostro cavorum, non obscurum est; in magnos enim venosos truncos si aquam tinctam injeceris, non obscurius de omni eadem superficie sudabit perspirabilis humor, quam per arterias exhalaverit. Veterum plurimi putarunt, aquam ventriculorum per infundibulum ad glandulam pituitariam & inde per minora quædam ossis sphænoidei foramina ad nares descendere; cum vero hoc anatomicis & physiologicis argumentis satis jam a SCHNEIDERO inprimis *v*) refutatum sit, solis venis resorptionis hujus officium tribuendum erit. Nunc, si quacunque ex causa serum in ven-

*t*) HALLERUS L. C. T. IV. p. 43. *In recens decollato nullam ventriculorum aquam vidit* VERDUC, *Usage des parties*, T. II. p. 65.

*u*) *Idem eodem loco.*

*v*) *De Catarrhis* L. I. p. 242.



triculos majori copia excernitur, & ex iisdem parcius re-  
 forbetur, illud vitiose accumulatur. Causæ autem illæ,  
 quæ in ventriculis cerebri majorem aquæ collectionem  
 efficere valent, commode in externas atque internas dis-  
 pefci possunt. Internæ quippe sunt quæcunque seminia in  
 in corpore latitantia, quæcunque mala corporis constitu-  
 tio, ubi aut ipsi humores, aut vasa, quibus continentur,  
 peccant, ut ita majori aquæ secretioni, quam resorberi  
 possit, occasionem præbeant, propter obstaculum nimi-  
 rum, quod in venis resorbentibus adest, quando illæ vel  
 collapsæ ex nimia laxitate, aut vi vitali imminuta, vel  
 callo, spafmo, aut inflammatione laborant, vel illarum  
 trunci ita premuntur, ut non amplius fugere possint;  
 quando quoque ipsa liquida acria facta majorem aquæ afflu-  
 xum & minorem refluxum efficiunt; si lymphæ porro occlu-  
 duntur ductuli, vel si plane rumpuntur; hydatites quoque  
 in cerebro repertæ, quæ forte a sui distentione diffiliant,  
 & ita aquam inter cranium pro sua magnitudine & nume-  
 ro effundant x). Huc quoque referendi morbi quidam ex-  
 terni cutanei; ita enim legitur a scabie capitis retropulsa  
 ortum fuisse hydrocephalum y). Per causas externas intel-  
 ligo quæcunque comprimendo, feriendo, percutiendo,  
 conquassando, ipsi encephalo vim inferunt, & ita verum  
 hydrocephalum internum producere possunt. A causis his  
 externis cerebrum validissime lædi posse, multa exempla  
 apud Auctores occurrentia probant. Sic vidit Cl. LA PE-  
 RONIE z), incisa dura cerebri membrana, cum in cere-  
 bri sinum ad corpus callosum usque mel rosatum injiceret,  
 ægrum ab injectione, quasi mortuus esset, fuisse prostra-  
 tum, & vicissim refocillatum, cum cerebrum validissima

x) MORGAGNI Epist. XII. §. 6.

y) GAUDELII *Dissertatio de Hydrocephalo Thef. Dissert. Sandi-  
 fort. insert.*

z) *Mémoires de l'Académie de Chirurg. T. I. P. II. p. 166.*



illa pressione liberaret. HIPPOCRATES jamjam a) historiam nobis reliquit de virgine quadam a muliercula ludente lata manu in sinciput percussa, quo factum, ut subito vertigine capta, tandemque febre correpta mortua fuerit. LIT-  
TRE b) de reo quodam capitali supplicio damnato refert, illum, quo ipsam executionem evitaret, totis viribus in carceris murum incurrisse, & mox mortuum concidisse; cranio resecto, cerebrum non amplius omnem internam cranii cavitatem replevit, uti in statu naturali fieri solet, atque substantia cerebri, cerebelli & medullæ oblongata, quoad visum tactumve adstricta justo magis atque compacta fuit. Quodsi itaque compressio aut commotio cerebri admodum valida fuit, omnes illius functiones adeo turbentur necesse est, ut vel subita mors inde sequatur; compresso enim encephalo, comprimuntur & illius vasa præcipue tenerrima, quæ subito obstructa circulum contentorum humorum tollunt; collabuntur & ipsa medullæ cerebri stamina, quo liquor ipsis destinatus excluditur, hinc & nervorum initia comprimuntur, quo fit, ut fluidum in illis stagnans intercipiatur, illoque autem penitus intercepto, mors insequatur. Quum autem illa commotio non adeo vehemens fuerit, ita ut quædam modo medullæ stamina comprimantur, nec ita totum encephalon in omnibus suis lædatur functionibus, ægrotans interdum per sat longum tempus miserum adhuc trahere valet spiritum, donec tandem diris non raro vexatus symptomatibus, ad plures abeat. Hydrocephalum autem a valida hac cerebri commotione oriri posse, tam varia, quæ prostant apud Auctores exempla, quam & ipsa ratio suadent. Fieri enim in tanta ictus vehementis concussione potest, ut vasa cerebri lymphatica quædam, delicatissima quippe, aut statim

a) *De Morbis Edit. Charter. T. IX. p. 344.*

b) *Hist. de l'Acad. Royale des Sciences 1706. 8vo p. 68.*



rumpantur, aut ita infirmentur, ut robur tandem ipsis vitale abripiatur, facultate itaque sese constringendi destituantur, & a fluido a tergo veniente dilatentur, ad debilitatas enim partes major fit fluidi affluxus; hinc lymphæ accumulata aut dirumpit dilatatas venas, aut effluit per ipsa dilatatorum ostia. A valida porro cerebri concussionione fieri quoque potest, ut vasa quædam minima præcipue venosa comprimantur, ut ita lympham secretam non amplius fugere possint. Accidit quoque, quod in variis subjectis jam causa quædam interna prædisponens adesse possit, sic v. c. qui potu spirituofo abutuntur, quo humores, coagulata quasi lymphæ, in suo retardantur decursu, sicut in genere ad morbos serofos, oedemata, hydropem præclives sunt, ita celerius quoque, accedente quadam causa externa, in eosdem morbos incidunt; inde non ab omni commotione similes effectus. Dicta autem illa minima vasa & præcipue in omni ventriculorum cerebri ambitu adesse, demonstrat tam tenuissimum illud liquidum, quo ventriculi perpetuo madent, quam & injectio anatomica; observatum enim fuit c), omnem ventriculorum cerebri superficiem tegi membrana tenerrima, quæ injectionibus anatomicis & per inflammationem hic natam vasculosa esse detegitur; hæc vascula autem naturaliter tenuem lympham, non vero rubrum sanguinem continent. Cum igitur in aliis corporis partibus aliquando sequatur incredibile lymphæ tenuis affluxus, videtur & idem in encephalo obtinere posse, illudque observatis medicis confirmatur. Sic enim RIDLEY d) exemplum allegat de puero, cujus caput baculo adeo concussum fuit, ut post cephalalgias, vigilias, somnolentiam, vertiginem &c. vigesimo sexto die mortuus fuerit; cranio dissecto, ventriculi ce-

c) WINSLOW, *Expos. Anat.* p. 623.

d) *Anatomia cerebri* F. 5. l. 44.



rebri anteriores inveniebantur fero limpidissimo distenti. MORGAGNI e) de fene refert, qui ex alto in terram cadens, inde semistupidus factus tandemque mortuus; cranio perlustrato, inter utramque meningem, & in cerebri ventriculis ferum inerat, & hanc illius effusionem a disrptione vasorum lymphaticorum derivat. Hisce nunc & aliis adhuc a variis Auctoribus allegatis exemplis & noster casus optime respondet. Caput enim ægroti nostri adeo validis percutebatur ictibus, ut brevi temporis spatio tristissima inde secuta fuerint symptomata; cranio dissecto, omnes cerebri ventriculi, ut & vertebrarum specus aqua erant repletissimi. Causa itaque hujus hydrocephali commotio erat cerebri, qua varia in cavum ventriculorum hiantia vascula lymphatica aut statim disrpta, aut saltem ita infirmata fuerunt, ut sensim sensimque tono amisso, ita dilatarentur, ut tandem rupta humorem contentum in ipsa cava effuderint, qui dein in majori copia collectus, molem illam tandem eo usque adauxit, ut inde omnes cerebri ventriculi insigniter distenti apparuerint.

§. IV.

In statu naturali duo illi ventriculi laterales nullam plane inter se communicationem alunt; id quod docet fornicis ad thalamos nervorum opticorum applicatio, ut ille elevatus quoque sua vestigia relinquat. Ceterum omnem internum cavi ventriculi ambitum pia mater investit, quæ itaque omne ventriculorum commercium tollit; arcet quoque illud septi lucidi compositio, quod ex duabus lamellis, sibi invicem applicatis, constat, quæ integerrimæ sunt, subtilioris licet structuræ, cavulum nonnunquam includentes, quod ab HALLERO ventriculis annumeratur. Accedit, quod interdum in altero ventriculo non multum

e) Epist. LI. §. 9.



aquæ, in opposito autem & duæ uncia & ultra repertæ fuerint, imo quod alter omnino vacuus, & alter aqua repletissimus vilus fuerit *f*). Quodsi autem interdum communicatio quædam inter illos reperiatur, hoc a septi lucidi ruptura, a mole aquarum, sero acri, aut quacunque alia causa omnino derivandum erit *g*). Neque tertius cum lateralibus communicat, cum observationibus constat, quod hi non raro aqua pleni, ille autem inanis repertus fuerit *h*). Vero itaque simile est, quod in nostro subjecto ex eadem plane causa, in superioribus allegata, in utroque laterali ventriculo aqua in adeo magna copia tandem collecta fuerit, ut sibi ipse viam in tertium per foramina illa in huncce præternaturaliter hiantia paraverit, inde per aperturam hujus posteriorem ubi & prægrande reperiebatur foramen in quartum, & sic per rimam illam decurrentem in totum vertebrarum specum penetraverit. Ita MORGAGNIUS *i*) de tumore in dorso supra os sacrum inciso refert, unde plus libra aquæ limpidissimæ effluerit, & caput infantis aqua turgidum statim confidere, & ita mole minui observatum fuerit. In alio puero, cum ejusmodi tumor compunctus fuerit, unde aqua profudit limpidissima, cicatrice inducta, illius caput iterum attolli cœpit, & brevi hydrocephalus, vastæ molis emerit *l*). A magna nunc hacce aquarum mole in nostro cadavere observata, premebantur thalami nervorum opticorum, simul & striata corpora, septum lucidum atque fornix, inde exigua illorum moles & tenacitas; premebatur & dura mater cum arachnoidea, sic vasa illa exhalantia sua privata fuere functione, unde meningum ficcitas. §. V.

*f*) MORGAGNIUS Epist. II. §. 10.

*g*) Idem Epist. I. r. §. 44.

*h*) HALLERUS l. c. p. 77. cf. MORGAGNIUS Epist. XII. §. 9.

*i*) Ibidem.

*l*) Ibidem.



Quod nunc diagnosis hujus morbi attinet, illa omnino difficillima est. In foetu quidem atque recens natis hydrocephalus ex signis suis externis adeo facilis cognitu est, ut quisvis illum a quovis alio morbo optime distinguere valeat; at in adultis, quippe quorum ossa cranii adeo firmiter coalita sunt, ut nec maximæ intus urgenti vi cedere possint, licet & totum cerebrum aqua sit turgidissimum, res omnino altioris indaginis est. Attamen Medicus morbum curaturus veram ejusdem naturam & sedem cognoscere illumque ab aliis, qui similia fere habent symptomata, distinguere debet. Videamus itaque, num in re tam ardua aliquid saltem verosimile pronunciari possit. In superioribus jam dictum fuit, quod omnes causæ, quæ cerebri laxitatem inducunt, copiam fluidi ibidem secreti augent, & resorptionem impediunt, hujus quoque effusionis causæ esse possint. Singularis itaque a nativitate jam existens cerebri mollities *m*), summa humorum tenuitas & resolutio *n*), excretio liquorum aquosorum impedita *o*), morbi prægressi, qui vim corporis in universum infringunt *p*), externâ aliqua violentia, ictus, lapsus, quos valida cere-

- 
- m*) Quippe quæ supponit fibras nimis debiles & laxas, quæ debilitas deinde facile vasculorum ex his confiatorum extensionem, rupturam, in sua liquida contenta inertiam producere potest. BOERHAAVE Aph. 26.
- n*) WHYTT Oper. præf. Vers. Germ. p. 686. Observationem habet de puero, cujus sanguis in morbillorum accessu missus, summam tenuitatem ostendebat, qui postea hydrocephalo interiit.
- o*) Sic in adultis ex suppressione urinae sæpe serosa apoplexia oritur, in qua sæpius magna copia in ventriculis reperitur, quod nonnunquam odorem ipsius urinae habet. Cf. WILLIS de Morb. convuls. p. 87.
- p*) In Chronicis morbis plurimis ut in pericardii cavitate, ita & in cerebri ventriculis aliquam serosi liquoris copiam colligi posse WHYTTIUS l. c. monet.



bri commotio non raro sequi solet, ad hunc morbum prædisponere, & ipsum quoque producere possunt. Annotata sunt porro ab auctoribus varia symptomata, in variis ægrotis hydrocephalo laborantibus observata, uti vertigo, dolor capitis, paralytis, convulsiones, delirium, affectus soporosi, apoplexia &c. quæ omnia, licet quoque ab aliis causis in abdomine latitantibus originem suam ducere possint, tamen si cum illis conferantur, quæ hæcce symptomata prægressæ fuerunt, causis prædisponentibus, occasionalibus, atque efficientibus, tunc videtur mihi saltem cum magna probabilitate ad morbum præsentem, aquæ nimirum in cerebro congestionem concludi posse. Ita in nostro ægrotò valida satis a capitis ictibus derivanda cerebri commotio excipiebatur vertigine, cephalalgia, vomitu bilioso, hemiplegia, mentis alienatione, sopore tandemque apoplexia, nonne itaque ex his omnibus, cum causa illa efficiente collatis, cum magna saltem suspitione, ad ipsam morbi naturam ac sedem concludere licuit?

#### §. VI.

Quod nunc ad omnium illorum symptomatum in ægrotò nostro animadverforum congeriem attinet, illa non obscure sane ex pressione aquæ in ventriculis cerebri contentæ explicari poterunt. Quum enim ex causis supra indicatis, magna in cerebri ventriculis aquæ copia collecta fuerit, cranium, futuris jam dudum firmiter clausis, ab aquarum mole distendi non potuit, ea itaque medullam primo cerebri, illius ventriculos efficientem, leniter compressit, & inde vertigo, sensim sensimque tenebrosa, imò & tandem caduca facta explicari poterit; premebantur enim simul thalami nervorum opticomum, forsan & ab ipsa cerebri commotione statim debilitabantur; ad debilitatam autem partem humorum affluxus simulque pulsus arterio-



larium, adeoque & centralis nervi optici semper fortior ac celerior redditur, ex quo vertiginem oriri necesse est, quippe quæ alias levissimus cerebri morbus est, & plerique capitis morbi, imo fere omnes inde incipiunt, & curati pro ultimo symptomate vertiginem relinquunt q). Quamvis autem de causis vertiginem excitantibus Auctores longe a se dissentiant, de eo tamen inter omnes convenit, causam propriam & immediatam non aliam esse, quam inæqualem, turbulentum & inordinatum tum humorum, tum spirituum, qui in cerebro continentur, motum r); ejusmodi autem inordinatum motum aquam hic in cerebro effusam efficere potuisse, non obscurum est. Aucto malo sequebatur vomitus biliosus, ab irritatione nervorum ad ventriculum abeuntium; mirum omnino symptoma, quod in capitis læsionibus cerebrum compressione atque concussionem male affectum semper denotat s). Constat enim certissimis & quotidianis observatis, cerebri insignes mutationes, etiam in sanissimis hominibus, biliosum talem vomitum non tantum excitare, sed & sæpe bilem miro modo, momento fere temporis mutare: mirum etenim commercium obtinet inter caput & præcordia, sic, ut in se mutuo efficacissime agant; nec hætenus hoc ex cognita corporis fabrica explicari facile poterit, licet certissimis experimentis constet, rem sic se habere. Sic SCULTEPUS t) observavit, omnes fere capite læsos de amarore oris conqueri, id quod etiam in nostro ægroto observare licuit. Prehendebatur simul levi quadam sinistri lateris paralyti, hemiplegia ab Auctoribus dicta, quamque plerumque inter alia & vertigo atque oculorum caligo præcedunt, quæ

q) SWIETENIUS T. I. p. 433.

r) GALENUS de loc. affect. L. 3. C. 8.

s) SWIETENIUS l. c.

t) Armament. Chirurg. p. 198.



evidentissime demonstrant, quod causa morbi in capite hæreat, quum alias, cerebro se in omnibus suis functionibus optime habente, & causa mali extra cranium sedem suam habeat. Orta hæc fuit a compressione quoque medullaris cerebri substantiæ, simul & medullæ spinalis, unde nervi illi surgunt, ad illas partes abeuntes. Cur autem illa præcise in sinistro latere orta fuerit, videtur causa fuisse major in hoc, quam in opposito latere, aquarum pressio. Notum alias est, quod læsa quacunq; cerebri parte, plerumque superveniat resolutio, sed lateris alterius; atamen ipsa hæc alternatio, fatente HALLERO *u*) non perpetua est, & prostant utique exempla non rara, in quibus, affecto altero cerebri latere, & ejusdem lateris muscoli resoluti fuerint. Associabat se dein mentis alienatio; compressio enim cerebro, omnia, quæ ab hujus organi illibata actione in corpore fiunt, turbari possunt. Ita HIPPOCRATES *v*) a plaga in caput accepta stuporem aut delirium derivat: MORGAGNIUS *x*) in hydrocephalico sensuum hebetudinem observavit; & quidam linguarum orientalium alias peritissimus ab aqua in cerebro passim effusa, ad infantiam atque fatuitatem redibat *y*). Accedebat & huic malo vehementissimus capitis dolor, qui in occipite præcipue sedem suam figebat, in illo nimirum loco, quo fungus erat. Fungus itaque, de quo in posterioribus, veram hujus doloris causam fuisse, eo minus dubito, quo magis inter omnes constat, & levissimam cerebri compressionem non raro vehementissimum capitis dolorem sequi solere. Fungus nimirum tanquam pars cerebelli heterogenea, vasculis suis, humoribus eo alluentibus, dilatatis atque obstructis, aquarum simul copia undiquaque

*u*) l. c. p. 333.

*v*) Aphor. 24. S. VII. p. 303.

*x*) Epist. IV. §. 8.

*y*) HALLERUS l. c. p. 317.



premente, validissimum hunc excitavit dolorem. Corripiebatur denique fatali sopore, in apoplexiam sese terminante, qui semper auctam cerebri compressionem indicat z). Simulac enim illæ causæ, quæ prægressa symptomata fecerant, augebantur, oriebatur somnolentia, tandemque profundissimus somnus & lethalis, apoplexia. Unde inter illa signa, quæ docent, quendam capite pessime affici, recenset HIPPOCRATES a) altum soporem & tenebrosam vertiginem. Magna etenim illa aquarum moles tanta tandem cepit incrementa, ut, cerebro in omnibus suis staminibus vasculisque validissime compresso, non solum fluidum illud nervorum, sed & ceteri omnes humores in suo circulo interciperentur, & ita ægroto tandem fatali necessitate pereundam fuerit.

§. VII.

Prognosis nunc hujus mali secundum recensita symptomata admodum infausta, & tristis omnino in ægroto affectus. Illud quidem facile largior, quod, si illud fluidum lente tantummodo, nec magna copia excernitur, nullaque acrimonia præditum est, nonnunquam non adeo magna incommoda sequi soleant; si autem aqua in adeo magna copia accumulatur, ut ad tertium quoque quartumque ventriculum, imo ad specum usque vertebrarum descendat, vel in iis morbose colligatur, tunc ob medullæ oblongatæ inprimis compressionem, graviora omnino symptomata sequuntur. Adulti quidem diutius plerumque huic morbo resistunt, tandemvero subito lethargo vel apoplexia pereunt. Cura etenim hujus morbi difficillima, imo & plane impossibilis est. HIPPOCRATES quidem b)

z) SWIETENIUS T. I. p. 431.

a) *De Vulneribus Capitis*, Charner T. XII. p. 121.

b) loco citato.



medicamenta sursum purgantia commendat, quæ pituitam educant, intermissione facta, deorsum purgantia, tandemque cranii perforationem. Ita SWIETENIUS *c)* diuretica & purgantia iteratis vicibus suadet, ut exhaustiatur corpus utcunque, hac spe, ut venæ fiant magis bibulæ, sicque resorbeant extravasatam lympham. Hæc quoque medendi methodus exoptatum nonnunquam effectum habere poterit, ubi aqua inter cranium & meninges effusa hæret; quibus autem tuto indicibus notisque quis confidet, ut pro certo ponat, nunc inter ossa & crassam meningem, nunc inter hanc & tenuem, nunc tenuem inter & cerebrum aquam hære? Et quum illa in interioribus cerebri, inque toto vertebrarum specu lateat, hæc omnia sane nihil proficient, & cura omnino impossibilis erit: vasis enim medullæ cerebri resorbentibus aquarum mole ita compressis, ut forbendi vim plane amiserint, neque diuretica neque purgantia aliquid præstabunt, imprimis si vasa lymphatica vel glandulæ vicinæ, compressæ, obstructæ, disruptæ, vel quovis alio modo vitiatæ sint. Nil porro sperandum a trepanatione, quoniam in interiora cerebri penetrare, nefas est; quumque aquarum supra cerebrum effusarumeductio jam lethalis sit *d)*, quis, quæso, putet, sine ægri damno aquam præternaturali modo in cavis cerebri collectam, educi posse? Hinc SWIETENIUS ait *e)*, si in ipsis cerebri ventriculis vel & circa basin calvaria hæreant effusi humores, patet facile summum discrimen, & curæ difficultas, quæ sæpe etiam omnino impossibilis est, dum nequit exitus conciliari effusis liquidis encephalon comprimentibus. Talis ægrotans utique tristif-

*c)* loco citato.

*d)* *Singularem acum triquetram ad aquarum educationem* Cl. LE CAT *Philos. Transact.* Vol. XLVII. p. 267. *describit; qui autem nunquam alium nisi funestum operationis effectum vidit.*

*e)* T. I. p. 447.



fimo suo fato relinquendus, quippe ocius serius diem obiturus supremum.

§. VIII.

Alter morbus, quo noster æger corripiebatur, erat fungus, qui ex pedunculi cerebelli dextri postica parte excrevit, nucis juglandis magnitudinem habens, coloris cinerei atque vasis rubris distinctus. Fungus auctoribus est excrescentia quædam squammosa, quæ carnis mollis speciem præ se fert, & instar fungi vulgaris, parietibus adhæret, substantia vasculosa mirum in modum dilatata citoque renascente constans; nomen sine dubio accepit a subito incremento, una cum texturæ laxæ cum vegetabilium fungis similitudine. Omnem in corpore nostro partem solidam tam auctæ quam imminutæ magnitudinis morbo obnoxiam esse, quotidiana testatur experientia: quodsi nunc pars quædam secundum dimensiones suas augetur, accidit id vel ab utili, vel inutili humore in substantiam diffuso; ob utilis humoris copiam, sanguinem scilicet copiosius affluentem, augetur magnitudo in iis, quorum corpora, carne & pinguedine nimium aucta, præter modum crassescunt; ob inutilem vero materiem, augetur magnitudo, si qualitate peccet & vitiosa sit, unde varia tuberculorum & ulcerum genera procreantur. Ita HEISTERUS f) tumorem illum in membrorum articulis occurrentem, qui absque ullo ferme calore ac dolore pallet, fungum articulorum nominat, illiusque causam proximam in inspissato circa juncturarum ligamenta sero viscido atque glutinoso quærit; sic in ano quoque varia illa tubercula fungorum nomine insigniuntur, quæ uti polypi in naribus atque tubercula in vulva sensim excrescunt, ac nimium simul & corruptum sanguinem pro sua causa agnoscunt. In vulne-

f) *Instit. Chirurg. P. I. L. IV. C. 19.*



ribus porro caro illa non raro excrescens, fungosa chirurgis audit: notum quippe est, quod membrana illa adiposa, cuti subiecta, facillime possit distendi atque tumere, cutis autem illi superinducta eandem coerceat; ubi autem illa per vulnus divisa, tunc panniculus ille adiposus a cutis æquabili pressione liberatus in vulneris fundo assurgit, vasorum amplitudo augetur, & ipsa membrana adiposa magis magisque dilatatur. Eodem plane modo & idem malum non raro in vulneribus capitis obtinere solet, quando & cranium ipsum & dura mater percussa sunt, tunc contenta, suo nunc involucre privata, protuberare incipiunt, arteriæ dilatantur quam maxime, & miros tumores faciunt, qui quum citissime emergant, latissimeque expandantur, fungi cerebri vocantur; omnium autem maximi tales fungi nascuntur, si valida febris impetum & velocitatem liquidi impulsu in vasa cerebri tam facile dilatanda auxerit. Duplices tales fungos reperiri, alios, qui duræ solum matri adhærent, & alios, qui ex ipsa cerebri substantia emergunt, jam dudum HILDANUS tradidit g); priores quidem integra dura matre enascentes rarius, nisi affluxus humorum supra modum magnus sit, adeo magnos fieri censet, ut extra vulnus promineant, posteriores vero rupta dura meninge, promptius multo, elevata pia matre, in altum assurgere, atque extra ora vulneris protuberare, omniumque esse periculosissimos atque ut plurimum lethales monet, simulque h) pueri quatuordecim annorum meminit, in quo post cranii fracturam & meningis dilacerationem exortus sit e vulnere fungus, qui intra viginti quatuor horas ita excreverit, ut magnitudine ovi gallinæ extra cranium emineret. MARCUS AURELIUS SEVERINI i) obser-

g) *Obs. chirurg.* Cent. II. obs. 36.

h) Cent. I. obs. 15.

i) *De efficacia Medicinæ* L. I. P. II.



observationem allegat de caruncula, quæ fungi modo re-  
 perta fuerat intra cranium, quam implacabilis capitis do-  
 lor concomitabatur. Cl. KAUFMANNUS *l*) de fungo cere-  
 bri refert, quæ e dura matre ipsoque cerebro vitiatò enatus  
 fuit, quumque illius pars superior horizontaliter refecta  
 fuerit, ventriculus superior lateris sinistri ichore corrupto  
 nigricante repletus erat, substantia ejus reperiebatur in-  
 flammata ac sphacelata, inferior etiam medullaris pars ad  
 basin fere crani usque consumpta. Tales itaque fungi ex  
 ipsius cerebri substantia vasculosa mirum in modum dila-  
 tata constant, citoque renascuntur, licet ablati fuerint,  
 quique non raro secando, rodendo &c. tolli possunt, su-  
 perstita vita non tantum, sed & omnibus cerebri functio-  
 nibus illæsis manentibus.

§. IX.

Consideratis nunc hætenus illis fungorum speciebus,  
 qui ex ipso cerebro emergunt, cranio vulnerato, reliquum  
 adhuc est, ut & paucis de illis fungis disseram, qui ex ipsa  
 cerebri substantia oriuntur, absque ut cranium perforatum  
 sit. Monet quidem Ill. SWIETENIUS *m*); quod, quamdiu  
 dura mater adhuc integra est, raro tales fungi enascantur,  
 quoniam hæc membrana satis firma suppositam cerebri sub-  
 stantiam coerceat; interim nec hoc in univèrsum obtinere,  
 insigne inter alia exemplum confirmat *n*). Ægra acerbis  
 per plures annos capitis doloribus vexata, adhibito fru-  
 stra trepano, ubi nulli sub cranio effusi humores, nulla  
 meningis corruptio, præter majorem ejus tensionem,  
 comparebat, tandem mortua fuit, post sectionem, cranio  
 ablato, tres cerebri fungi in conspectum venerunt, e sub-

*l*) Dissert. de Fungo cerebri, Collect. Haller. insert. T. I. p. 49.

*m*) loco citato.

*n*) Comment. Acad. Chirurg. Paris. p. 227.



stantia ejus corticali enati, duræque matri adhærentes, quæ illo loco admodum crassa reperièbatur, os vero superimpositum ita attenuatum erat, ut vix folium chartæ, quo adscribendum utimur, crassitie æquaret. Hoc itaque exemplum simul & ille fungus in nostro cadavere absque ulla neque cranii neque duræ matris læsione conspicuus evincunt, tales excrescentias non raro in interioribus cranii exfurgere posse, absque ut cranium & dura mater læsa sint. Nullus enim in capite ægroti nostri tumor, nulla cranii caries, fractura aut fissura comparebat, dura mater quoque in toto suo ambitu integra, nec ullo modo vitata, nisi quod admodum sicca reperièbatur, & en fungus satis magnus ex ipso cerebelli pedunculo excrevit; operæ itaque pretium erit, ut & in hujus causam adhuc paucis inquiram.

§. X.

Uti cetera alias corporis nostri cava nullo non tempore sunt plenissima, ita quoque cranii cavitas semper in statu naturali membranis, vasculis, cerebro & cerebello repletissima reperitur; hinc semper, ubi in illius cavitate heterogenei humores aut corpora innidulantur, cerebrum inde pessime sese habere, observationibus evictum est. Stamina nimirum cerebri mollia laxæque tantummodo inter se cohærentia peregrinis hisce corporibus quidem cedere valent, ast inde nimium pressa, uti jam dictum, non raro dirissima symptomata creant. Valida hinc illa cerebri commotio, medullaribus fibris, vi illa illata compressis, & ita firmiter magis ad se invicem impactis, eosdem plane effectus producere poterit; ideo quoque non raro encephalon ita affectum in cadaveribus paululum compressum reperitur, ita ut non amplius totam cranii cavitatem repleat. Licet autem cerebrum adeo teneris atque mollibus gaudeat fibris medullaribus, in statu sano tamen, nulla



accedente causa externa neque interna, saluum semper integrumque per longam annorum seriem ut conservetur, provida prospexit natura; quæ illud non solum in capsam cranii durissimam locavit, quo ab omnibus externis injuriis tutum foret, sed quoque ne illud ab interiori quadam causa facile premi, irritari, sua ipsa ponderosa admodum mole, vel quovis alio modo male affici possit, triplici involvit membrana, quarum arachnoidea præcipue cerebrum cum omnibus suis gyris atque anfractibus in situ suo coercescit o), pia autem meninx illos ad interiora usque persequitur & vinculi modo vicinas passim partes cerebri continet, eum præcipue in finem, ne altera pars supra alteram gravitare, & sic totius encephali functiones turbari possint p). Quotiescunque igitur tam arachnoidea quam pia mater, in interioribus subtilissima, a vi quadam disrumpitur, encephalon inde pessime affici, non obscurum est. Talem autem arachnoideam simul & pia matris rupturam nonnunquam a vi quadam illata contingere posse, eo minus dubito, quo certius constat, & fortiores tunicas, quibus præcipue arteriæ gaudent, in cranii cavo ruptas repertas esse. Puellæ sedecim annorum ex lapsu quarto die defunctæ cadaver lustravit BOHNUS q), nil violenti effectus in capite observabatur, aut aperta calvaria, & elevato cerebro, carotidum ramus sinister anterior ruptus inveniebatur. Docet hoc exemplum, magnam arteriam, tuto sub ipsa basi cerebri reconditam, solo tali concussu, calvaria illæsa, rumpi posse; unde apparet, simile malum reliquis encephali vasibus, simul

o) Hunc usum præcipue tenuis meningis esse, MORGAGNIUS Epist. I. II. §. 26. in duobus felibus vidit, quorum viventium capita incidit; nam qua forte aliqua ejus meningis particula lacerata fuit, ibi particula cerebri se extrudebat, prominensque persistebat.

p) HALLERUS l. c. T. I. p. 21.

q) De renunc. vuln. p. 172.



membranis tenuibus accidere possent. Probabile itaque videtur, quod ille fungus in cadavere nostro repertus, eodem tempore, ex eadem quoque causa cum hydrocephalo surrexerit. Validi nimirum illi ictus, quo caput aegroti nostri percutiebatur, tantam cerebri commotionem excitarunt, ut & ipsa pia mater forsan & arachnoidea in eodem illo loco, quo fungus excrevit, rupta fuerit. Fibrae quippe illae medullares cerebelli pedunculum constituentes, nunc extimo suo involucre privatae, qua data porta ex naturali suo situ protrusae, vasa quoque illam prominentem partem perreptantia, magis nunc libera, affluxu quoque sanguinis fortiori existente dilatata, in illum tandem fungum excreverunt, qui sua in circum jacentes partes pressione, vehementissimum illum capitis dolorem excitavit; & quum ille, in interioribus quippe cranii latitans, nec ulla quidem suspicione divinari potuerit, omnino quoque incurabilis fuit. Et ita tandem magna illa aquarum moles, simul & cerebelli hicce fungus, conjunctis viribus encephalon in omnibus suis staminibus vehementissime comprimentes, tristem aegrotantis vitae imposuere finem.





(X 228 1910)

Strasbourg, Med. Diss., 4.


Caillett -

Cuenotte









B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Q. D. B. V. 6  
DE  
**HYDROCEPHALO**  
CUM  
**FUNGO CEREBELLI**  
CONJUNCTO  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU  
PRO LICENTIA  
**GRADUM DOCTORIS**  
LEGITIME CONSEQUENDI  
D. VII. NOVEMBRIS A. MDCCLXXVIII.  
DISPUTABIT  
**JOHANNES CONRAD**  
ARGENTINENSIS  
H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI  
Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.

